



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Disc. II. Maternitas Mariæ extollitur. Elegantibus conceptibus demonstratur  
Mariam post Deum, ad summum gradum gloriæ elevatam esse, quiam  
filium Dei genuit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

# DISCURSUS II.

*Maternitas B. M. V. Gratiarum omnium maxima est, quam Deus pura creatura conferre potuit.*

Quamvis juxta effatum S. Bernardini Senensis ser. 2. <sup>Exordium.</sup> de SS. Nomine Mariæ, non sit facultatis humana, quandiu in hoc mortali corpore degitur, ad laudem gloriosa Virginis Matris Dei plenè pertingere, qua omnium hominum voces excellit, & superat intellectum; non defuerunt tamen eximii Virginis Cultores, qui eam dignissimis honorum titulis condecorarunt, quibus Divinarum gratiarum prerogativas in Matre Virgine venerarentur. Sic Locam voluptatis appellat S. Ephrem. serm. de Laud. B. V. quem Deus omnibus gratiarum divitiis cumulavit. Sic illam: Sacramentum Spiritus S. & omnium Virginum fastigium. S. Ildelphonus. Florem incorruptionis. Andreas Cretensis. Cælum splendidum. Richardus à S. Laurentio serm. 7. de Laud. V. Cælesti prodigium, & sacratissimum spectaculum. S. Martyr Ignatius cognominat. Verùm his aliisque sine numero omiſſis Encomiis, Matrem Dei deprædicat, & præfert S. Anselmus lib. de Excellent. Hoc solum prædica, ait, quòd Mater Dei sit, hoc superat totum, quod sub Deo dici potest. Sub cælo etenim maxima gratiarum est, quam Deus puræ creaturæ conferre potuit, Maternitas B. M. V. Veritatem hanc SS. Patrum <sup>Patres.</sup> sensibus consonam videamus. Ipsa est Virginitas nostra gloria singularis, & excellens prerogativa Maria, quòd Filium unum eundemq. cum Deo Patre meruit habere communem. scribit S. Bernardus <sup>S. Bernardus.</sup> serm. 2. de Annunt. Ipsa est, qua majorem Deus facere non posset, majorem mundum posset facere Deus, majus cælum posset facere Deus, majorem Matrem, quam Matrem Dei, non posset facere Deus. seraphicè discurret S. Bonaventura, in <sup>S. Bonaventura.</sup> Spectaculo



culo B. V. Lect. 10. *Si maximum est, esse servum Dei, magis esse amicum, utiq; maximum est, esse Matrem Dei.* concitatur  
 Dionysius Carthusianus ferm. de Assumpt. B. M. V. *Conceditur enim civis Matrem esse, dignitatis est: Equitis Matrem esse, majoris: Angeli, si Matrem habere possit, majoris; Archangeli, majoris: Seraphim, multo majoris: Filii Dei Matrem esse, omnes has superat dignitate, sicut & Deus his omnibus major est.*  
 ponderat S. Thomas à Villâ Novâ Conc. 2. de B. M. V. *hanc Virginem Matrem Dei dicit, omnia dicit.* S. Joannes Damascenus Orat. 1. de Nat. B. M. V. *Si celi Reginam, si Angelorum Dominam, vel quodlibet aliud excellentissimum, tam humano corde, quam ore excogitatum protuleris, non asseras ad hunc superindicibilem honorem, quo creditur, & prædicatur Dei Genitrix.* Petrus Cellensis lib. de Panibus cap. 21. *Magis gratia non potest intelligi, pura creatura communicari, quam esse Matrem Dei.* subscribit B. Albertus Magnus in Bibl. Magnæ Evang. Joann. Num. 11. ex Doctrinâ Angelicâ S. Thomæ Aquinatis p. 1. q. 26. cujus Authoritate, præfatis testimoniis coronidem imponimus. Omnipotentia Divina, tamen aliis Operibus infinita, in eo vel maximè supremum potentia suæ apicem transcendit, dum Beatam semper Virginem Mariam ad Maternitatem Dei elevavit, cum enim extra Deum nihil Dei Matre dignius excogitari possit, eam altius elevare aut digniorem reddere, Dei Omnipotentia non potuit. Angelicam hanc Sponsæ S. Spiritus Laudem, imploratâ ejus gratiâ Conceptibus elucidemus.

### CONCEPTUS I.

Confirmatio seu Deductio.

Mariæ Laudes, Excellentiam, & Dignitatem deprecari volentes SS. Evangelistæ, paucissimis verbis comprehendunt: *De quâ natus est Jesus, qui vocatur Christus.* Matth. 1. 18. An non Virginem omni virtutum genere præditam expectaverunt? Cur ergo relictis omnibus Encomiis solam Jesu Christum quem Petrus Filium Dei vivi confessus est, Maternitatem



commemorant? Num solus fructus Ventris benedictam inter Mulieres, & unica sacra Proles præ cunctis Matribus felicem reddidit, ut proinde Mariano Symbolistæ: *Prole suâ felix: subscribere liceat?* Ita sanè S. Anselmus de Excellent. B. V. cap. 2. *Hoc solum de Sanctâ Virgine predicari, quòd Dei Mater sit, excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici, vel excogitari potest, & altissimum, quod habeat contemplandum, & ruminandum Mens humana.* Sed & ipsam audiamus Virginem,

## CONCEPTUS II.

Refert S. Lucas Evangelista, primo sui Evangelii Capite, Beatam Mariam Virginem Spiritûs S. obumbratione jam gravidam, in montana festinanter abiisse, & Elisabeth visitasse, nec non in ipso introitu, insigni Matris Dei titulo dignatam fuisse: *Unde hoc mihi, ut Mater Domini mei veniat ad me?* quâ humili salutatione, animâ magnificans Dominum, & Spiritu in Deo exultans Virgo, dum beneficia sibi à Deo præstita grato animo decantaret, inter alia etiam in hæc verba prorupit. *Fecit mihi magna, qui potens est.* Non diffiteor, magna esse, quæcunque à largâ Manu Domini gratis accipimus, nam *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre Luminum.* juxta regulam S. Jacobi Apostoli 1. cap. dubium tamen movet, quòd Sacratissima Virgo ad primum Matris Dei in auribus sonum, tam specialiter infinitam Dei Potentiam decantando commemoret? Num adeò Humilitatem Ancillæ suæ respexit Deus, ut ad Matrem Dei elevans, ultimum Omnipotentia suæ terminum, in eam ad extra effunderet? & quò altiùs elevet, non haberet? Affirmativè responderet mellifluis vocibus S. Bernardus serm. de Nativ. B. M. V. *Nec enim decebat Deum alia Mater, quàm Virgo, nec Virginem alius Filius, quàm Deus, quia nec major inter Matres, nec major inter Filios nasci potuit.*

b

CON-



## CONCEPTUS III.

Prævidit hoc in Spiritu suo Prophetico Isaias, qui præcellæ Matris Dei de prædicaturus Excellentiam ac Dignitatem cap. 35. ait: *Gloria Libani data est ei.* Verum est, opinor Doctissimum Lyranum, & cum eo S. Hieronymum, verum hisce de beneficiis Hebræorum Synagogæ à Deo præstitis, referere voluisse: verum quoque est, id, quod D. Basilius, Gregorius, & alii in hunc locum affirmant, loqui Isaiam de famis à Deo Ecclesiæ concessis honoribus, cujus eminenti gloria similis est monti Libani: verum tamen etiam ad propositum meum accedunt, B. Thomas de Villà Novà, sern. Nat. Virg. Rupertus Abbas, & Dionysius Carthusianus Cant. Eminentiam & Magnificentiam Matris Virginis nomine montis Libani verbis Prophetæ fuisse propositam. Sed cur rectè Montis Libani? ut quid non alterius montis multitudinem assumpsit? excedit & superat montes alios. Mons Libani, cum cæteris altior sit, & sublimior; hæc eadem rogativa Mariæ est concessa, quæ tanquam Dei Mater omnia in terris existentes Creaturas, & omnes Cœlestis Paradisi bonos Spiritus magnificentiam superat & præcellit. Favet huic Conceptui S. Damascenus Orat. 1. de Nativit. *Virgo Domini ille, qui collem omnem ac montem, id est, Angelorum & hominum sublimitatem exuperat, Mons, in quo beneplacitum Deo, habitare in eo.* Repetit sensum suum Prophetæ cap. 1. *Erit in novissimis diebus preparatus Mons Domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles.* Quem locum exponens D. Gregorius ait: *Mons quippe in vertice montium, & elevabitur super colles, quæ omnem electa Creaturae altitudinem, & dignitatis sua dignitate transcendit.*

## CONCEPTUS IV.

Non incongruè Sancti & Electi in Cælo, Montes etiam gloriæ & honoris dici possunt, de quibus Regius Psaltes cantat.



*Montes in circuitu ejus: Pſal. 124. Sancti enim omnes Regi-  
nam ſuam, Virginem Dei Matrem, velut virgulta arborum  
circumſtant; quod autem Pſal. 86. canit David: Fundamenta  
ejus in montibus ſanctis: conſideratione ulteriori dignum cen-  
ſeo. Num ſola Virgo fundamentum jecit, ubi alii Sancti  
finem poſuere? Ita eſt. AA. finem in montibus ſanctis fide ſua  
Patriarchæ, ſpe ſua Prophetæ, Charitate Apoſtoli, Patientiâ  
Martyres, Humilitate Confefſores, Caſtitate Virgines, Mi-  
niſterio Angeli poſuerunt, Fundamentum in his Montibus  
ſanctis ſola Virgo jecit, quæ ſingulis Sanctorum omnium vir-  
tutibus excellior una reſplendit. Hinc S. Bernardus ſerm.  
in ſignum magnum. in verba illa: In Plenitudine Sanctorum  
detentio mea. *Benè in Plenitudine Sanctorum detentio Maria  
fuit, cui non deſuit Fides Patriarcharum, Spes Prophetarum, ze-  
lus Apoſtolorum, Conſtantia Martyrum, Sobrietas Confefſorum,  
Caſtitas virginum, Facunditas Conjugatorum, inſuper & Puritas  
Angelorum.* Et iterum ſerm. 4. in Salve ad Virginem. *Nihil  
eſt virtutis, quod in te non reſplendeat, & quidquid ſinguli ha-  
buere Sancti, tu ſola poſſediſti.**

### CONCEPTUS V.

Unam præ cæteris ſibi elegit Sponſus, quam omnibus in-  
venit perfectiorem. Cant. 6. cap. *Una eſt columba mea, per-  
fecta mea, una eſt Matris ſua, electa genitricis ſua.* Quæ eſt  
iſta? Reſpondet Rupertus Abbas in Cant. Unam eſſe, quæ  
parem non habet, Beatiffimam Virginem, in quâ Virginitas  
& Maternitas conjunctæ ſunt, quod Privilegium nulli un-  
quam Deus omnipotens conceſſit, quàm Mariæ; hanc ergo  
præ reliquis, ſibi in ſponſam Spiritus S. elegit. *Una & electa  
eſt (verba ſunt Abbatis) quia nec inter Angelos, nec inter ho-  
mines, vel primam habet, vel ſequentem habitura eſt.* Apo-  
ſtolum cogita, & ecce undecim alios adnumerabis; Evan-  
geliftam pete, & ecce tres alios invenies; Virginem deſidera,  
& ecce in unâ ſolâ Coloniâ undecim millia habebis Virginum,  
b 2 quæ



quæ pro Fide Catholicâ, vitam constantissimè profuderunt sanguinem; omnes hæc parem habent & sociam, at unicus ceps est, & præcipua, una sola parem nescit, aut sociam. Virgo Dei Mater, unam hanc Columbam suam, perfectam suam, prælegit Dominus, cui proinde Catholicus ac Christianus Poëta accinit:

*Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.  
Gaudia Matris habens cum Virginitatis honore.*

## CONCEPTUS VI.

S. Bernardus  
serm. 4.  
de Assumpt.

Ipsamet Virgo se tot tantisque gratiis, ac donis cælestibus cumulatam conspiciens vitis similitudinem induit. Ecce sicuti 24. cap. v. 13. Ego, inquit, quasi Vitis fructificans vitæ odoris. Cur non Palmæ aut Cedro se comparat, cur rectè viti? aliàs inter plantas & vitem hoc est discrimen, quòd crescant illæ ad determinatam altitudinem, non vitis; Palma crescit tantum, & non plùs, cedrus crescit tantum, & non plùs: at verò vitis certam non habet crescentiam quantitatem, sed teste experienciâ juxta mensuram status, sive pedamenti, quo fulcitur, tantum & ultra potest crescere: sic parvam & demissam persæpe videbimus vitem quia parvo & humili nititur Palo; altiorem aliam, quia humiliorem adjunctam habet radicem; aliam denique interbimur, quæ, quia altissimo fulcitur pedamento, in tantam consurgit altitudinem, ut altiùs sustolli nequeat. Beatissima igitur Maria Virgo Dei Mater, innixa super dilectum Filium suum Jesum Christum, seipsam comparat viti, ut nobis ostendat, se ramos suos (per quos Seraphicus Bonaventura in speculo B. V. divinas Gratias, cælestia dona, ac beneficia intelligit) eousque erexisse in altum, quousque sese extendit sustentaculum ejus, & fulcimentum; cum verò hoc sic innitum, Deus enim est, quæ Virginem sustentat, Deus, Mater innititur, hinc quidem, *Justus ut Palma florebit.*



*licus Cedrus Libani multiplicabitur.* Psal. 91. longè tamen & infinities excelsior Dei Genitrix, quasi *Vitis fructificabit suavitatem odoris.* Eccles. 24. cap. v. 13. ac propterea SS. Angeli demirantes tot tantasque Virginis prærogativas, tantam Dei Matris dignitatem, dixerunt: *Qua est ista, que ascendit de deserto delitiis affluens, innixa super Dilectum suum?* Cant. 8. v. 5. quæ verba vertit S. Ambrosius: *Qua est ista, que ascendit, sicut vitis propago innixa super dilectum suum?* Unde Doctor Angelicus 3. part. quæst. 27. art. 5. ad. 1. conclusit: *Virgo tantam obtinuit Gratia Plenitudinem, ut esset Auctori Gratia propinquissima, ita quòd eum, qui est plenus omni Gratia, in se repereret.* Si Deo propinquissima, ergo præ omnibus creaturis excelsissima.

## CONCEPTUS. VII.

Principem Jura jugo legis absolvunt, ejusque Auctoritate Augustam Principi in Privilegiis æquiparant: sic l. Principes ff. de Legibus: *Princeps legibus solutus est, Augusta verò, licet legibus soluta non sit, Princeps tamen eadem Privilegia tribuit, que ipse habet.* Legiferi, seu principis, imò Regis nomine Christum appellat Isaias cap. 33. *Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster.* Nec non Joannes in Apocal. cap. 19. *Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum; Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Legiferi hujus, Principis, Regis Regum, ac Domini Dominantium Mater est Virgo Maria, ac proinde Augusta, cui dum sua, quæ ipse habet, Privilegia Christus attribuit, Reginam Reginarum, & Dominam Dominantium effecit. Excellenter S. Anselmus de Excell. Virg. cap. 11. *Sicut Deus suâ Potentiâ parando cuncta, Pater est, ac Dominus omnium: ita Beata Dei Genitrix, suis Meritis cuncta reparando Mater est, ac Domina omnium.* Huic se sociat Rupertus Abbas lib. 3. in Cant. *Ita coronaberis (O Maria!) ut in Cælu & in terris Regina sis Regnorum, ubicunque enim prædicationum fuerit illud de dilecto dictum: Minuisti eum paulò minus ab*

b 3

Ange-



Angelis, Gloriâ & Honore coronasti eum: pradicabitur & deo, quod sis ô dilecta, & Mater hujus Coronati, ac proinde Regni Cælorum, totum Jure possidens Filii Regnum, atq; hoc intuitu Reges & Imperatores te Coronis suis coronabunt, Palatia sua Nomine tuâ sacrabunt, & honori tuo dedicabunt. Unde etiam S. Bernardus ferm. 1. super Salve Regina ait: *Juste Regina Mundi, & Regina Cæli dicitur, per quam utriusq; Creator & Rector generatur.* Et S. Epiphanius ferm. de Laud. Deip. observat, ipsas fas Principum, & Regum genitrices, pro dote & incurabilis integris Regnis donatas fuisse, quidni igitur sponsa Divinæ, & Regis Regum Matri, melior fortuna obtigerit? quæ concludit in hæc verba: *Dos Maria Genitricis Dei, Spiritus erat, & Dona Incunabuli cælestis Paradisus.*

### CONCEPTUS VIII.

Speciosam Esther, dum Mardocheus in Regiâ aula affertur summis honorum ac dignitatum gradibus exaltatam intemeret, subodorare non dubitavit, eam pro salute populi in vinâ Providentiâ Regiæ Majestati subordinatam fuisse, ut imitationem Solis, gratiæ suæ lumen stellulis exiguis communicare, & inter spumantes arrogantia fluctus periculorum suorum vitam, præpotenti apud Regem intercessionem conservare non dedignetur, quam, ut supplex pro populo Mardocheus tantò facilius impetraret, à superbo Aman paratissimè insidias lachrymabundus exponit, sanguinolenti Edai exemplar tremulis manibus tradit, & voce compassionis Reginam persuadendo alloquitur: *Quis novit, utrum saltem ad Regnum veneris, ut in tali tempore parareris?* quasi diceret: Salus Populi es tu, ô decora Esther! eo fine ad Regni solium elevata, ut dolosè excitatam Regis iram mitigares. In hac divinâ Regis Regum ac Domini Dominantium, supra omnes Creaturas elevatam demonstravimus Mariam Virginem Dei Matrem, etenim super Choros Angelorum exaltata est sancta Dei genitrix, ut speciosior Esther, salus esset Populi sui, etc.



ut sol, nos exiguas stellulas suas, Gratiarum lumine plena illustraret, & ut vera misericordiae Mater, justissimam Dei omnipotentis iram peccatis nostris excitatam, Caeli terraque Domina potentissimè Mundo reconciliaret. *Nam pro miseris Mater Dei facta es, Misericordiam super genuisti, & demùm tibi miserendi est officium commissum.* Scribit seraphicè S. Bonaventura. in stim. amor. part. 3. cap. 19.

Ad montem fugit Loth, ut ab incendio Sodomæ peccatrici liberaretur, Angelico consilio parens. *In Monte saluum te fac.* Gen. 19. cap. Aeternum gehennæ incendium obstinatis peccatoribus Justitia Dei rigorosissima præparavit, ab hoc ut libereris, Angeli tui Tutelarîs consilio pare: *In Monte saluum te fac.* In quo Monte? Montem S. Antonius Paduanus serm. in Dom. 2. Quadrag. Mariam Virginem Dei Matrem appellat; hunc Montem sæpè sæpiùs piâ ac humili veneratione ascende, & ab omni infernali flammâ intactus evades, ejus Patrocinio Matris, cui nihil negat Filius. Angelo tuo Marianum clientem jungo Bernardum tibi acclamantem serm. 28. in Cant. *Ad Mariam accurre; exaudietur enim ipsa pro reverentiâ suâ, exaudiet utiq; Matrem Filii.* Amen.

*Spiritus implevit te, Virgo, Deusq; quievit  
Verbi, mole carens, absq; dolore parens.  
Cælum felicem benedicit te genitricem,  
Concinit Orbis Ave, prole beata, fave.*

